BEDA VENERABILIS. HIERONYMUS
2. Viertel 12. Jh. Seite 12r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36488
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



retinuit. immo et iam predicationis officium. ut prefati sumus deuoto ore
suscepit. Quid ad hoc quod dictum est. posuerunt me custodem in uineis. ui
neam meam non custodiui. ita distinguendum putantur. ut uinee nomine
xpi signetur ecclesia. uinearum uero appellatione multifaria legis decreta.
ac diuerse phariseorum traditiones intelligantur. Et posuerunt inquiunt ecclesiam
in uineis. qui fideles cogebant circumcidi. et carnalis legis cerimonias ob
seruare. in quibus ille erat qui ait. et per omnes synagogas frequenter puniens eos
cogebam blasphemare. et amplius insaniens in eos qui persequebar usque in
exteras ciuitates. idcoque uineam suam non custodiuit. dispersis ab hierosolima
fidelibus non paucis. quasi palmitibus uinee celestis. cuius tamen
inde nequaquam ualuit radix euelli. Sed quia quo maior aduersitas prauorum
fidem temptat electorum. eo instantius necesse est auxilium inuocentes redempto
ris. recte sancta ecclesia postquam filios matris sue contra se insurrexisse. postquam
uineam suam horum incursione concussam esse conquesta est memor dominici promissi
quod dictum est in mundo pressuram habebitis. sed confidite ego uici mundum. sollici
to ad ipsum corde conuersa precatur dicens. Indica mihi quem diligit anima mea. ubi
pascas. ubi cubas in meridie. Bene autem eum cuius presidium flagitat dilectum ani
me sue uocat. quia quo grauius est periculum de quo eripi cupit. eo amplius illum per quem
se eripienda nouit diligit. Cui simile est illud psalmiste. Diligam te domine uir
tus mea. Quod est aperte dicere. Idcirco te tota mente diligere non desino. quia me si
ne tua gratia nihil uirtutis habere posse conspicio. Quem etiam pastorem esse signi
ficat dum dicit. ubi pascas. ubi cubas in meridie. iuxta hoc quod ipse in euangelio
testatur. Ego sum pastor bonus. et cognosco meas. et cognoscunt me mee. Qui pas
cit oues suas. inter eas cubat in meridie. quia corda fidelium suorum. ne feruore
temptationum intus arescant. memoria superne suauitatis reficit. et in eis ipse
propicius manere consueuit. Hinc etenim psalmista dicit. Dominus pascit me. et nichil
mihi deerit. in loco pascue ibi me collocauit. Hinc iohannes ait. Qui manet in cari
tate in deo manet. et deus in eo. Quia quoque multi pseudo prophete exiuerunt in mundum
dicentes. ecce hic xpc. ecce illic. necesse habet ecclesia semper xpi diligenti
exploratione dinoscere. qui sint illi in quorum ipse professione et opere possit
inueniri. ipsumque piis uocibus ut se demonstrare dignetur exorare. Indica
mihi inquiens quem diligit anima mea. ubi pascas. ubi cubas in meridie. ne
uagari incipiam per greges sodalium tuorum. ac si aperte dicat. Quia multifaria
me aduersantium perfectio instar meridiani estus afficit. obsecro declares
mihi o redemptor et protector meus quibus in locis inuenire queam eos qui tue sint
presentie gratia refecti. que ue sint ex omnibus dogmata que euangelice tue
concinant ueritati. ne te diutius differente subsidium errantium forte conuen

ss

persecutio